



1. Num. Joseph denegit fuent. K.C. Matth. 1, 18.  
 2. De Immanuele Matth. 1, 18, 23.  
 3. De iudeo poni Joh. 11, 2.  
 4. De amita baptiste Matth. 3, 4. Mr. 1, 6  
 5. Curia Sup morte Mt. 5, 14. ov  
 6. De bedroghen cura elemosynar. Mt. 6, 2 R  
 7. Iacobus brach. vanitas. Mt. XV, 9.  
 8. De signi temporum offervander Mt. 16, 1-4  
 9. De angeli. Petrik Kap. XI. Mt. 16, 13-19. Incay.  
 10. Tu es d[omi]n[u]s regi fili. inventio. Mt. 16, 16.  
 11. De claris hab. Mt. 16, 19.  
 12. De autoritate Clav. Solv. & lig. Mt. 16, 19  
 13. De diabolis & solutio[n]e Mt. 17, 24.  
 14. Sorgs de operis nivis. Mt. 20, 1-16  
 15. Vol. di congregatiu[m] volentes Mt. 23, 37.  
 16. chichiburi. De hercino Engt. Mt. 24, 14.  
 17. De otdagio d[omi]ni. Mt. 24, 28  
 18. Ager sanguinis Mt. 27, 3-11.  
 19. Tunclo servatores. Mt. 27, 6.  
 20. De curi. Judas d[omi]ni. Mt. 28, 1. Mr. 16, 2.  
 21. De curi mortis p[re]cer[er]i sancti. Mr. 6, 13. Ies. V, 14.  
 22. De incarnationi mysterio Lxx. 1, 35  
 23. De Mysyka d[omi]ni preservata.  
 24. De rore Iesu. Lxx. 2, 21  
 25. De iherete abst. peccatorum Lxx. 7, 47, 48  
 26. agobriges Lxx. 8, 13  
 27. ~~di~~ curi Sabelliana Lxx. XV.  
 28. De Memoria mystica Lxx. XVI, 9  
 29. De corde. Lxx. 16, 9  
 30. .... Lxx. 16, 9.  
 31. De laetitione d[omi]ni. Lxx. XXIX, 41.  
 32. Verbi glori glori acutus. Lxx. 22, 79

THEOLOGEMA MEMORIALE  
SEXTVPLEX  
*DE*  
**VOTORUM**  
**MONASTICORUM**  
**VANITATE**  
ex Matth. XV. v. 9.  
*IN AUDITORIO THEOLOGORVM ALTDORFINO*  
publice disputabitur  
*d. 19. April. M. DC. XCIII.*  
*P R A E S I D E*  
**CHRISTOPHORO**  
**SONNTAGIO,**  
SS. Theol. Doctore ejusdemq; Prof. Publ.  
Primario & Ecclesiæ Antistite, h. t. VNIVERSITATIS  
RECTORE,  
& RESPONDENTE  
**JOHANNE ERNSTO** *Gelmers*  
Sverinensi Megapolitano.

---

*ALTDORFFI*  
Recusum à Jenoco WILHELMO KOHLESIO, 1702.

CHRISTOPHORO

AGNO

PIETRO

ANTONIO

FRANCESCO

GIACOMO

GIROLAMO

GIACINTO

GIACINTO

GIACINTO

GIACINTO

GIACINTO



Textus authenticus Matth. XV. 9.

**M**άτην δὲ σέβονται με, διδασκαλίας διδόσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων.

*Frustra me colunt, docentes doctrinas (quae sunt) mandata hominum.*

LXX. Interpp. El. XXIX. 13.

Μάτην δὲ (Wechel: Aliibi omitt. δὲ) σέβονται με, διδασκούστες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας.

Syrus Edit. Gutbier.

بِلَّهُمْ لَكُمْ مُّنْهَدِّهٌ لَّمْ يَرَوْهُمْ  
أَنْتُمْ لَهُمْ مُّنْهَدِّهٌ لَّمْ يَرَوْهُمْ

*Et frustra timent me, cum docent doctrinas mandata filiorum hominis.*

Luther.

Aber vergeblich dienen sie mir / dieweil sie lehren  
solche Lehren / die nichts / denn Menschen-Gebot sind.

GRAVISSIMUM ISTHOC SALVATORIS EF- THEOLO-  
FATUM, EX ESAIÆ XXIX. 13. DEPROMPTUM, GEMA  
ANTE OMNIA PHILOGIAM SACRAM, EAN- MEMO-  
DEMQUE PERBREVEM ET SVCCINCTAM, SI- RIALE.  
BI VENDICAT ET EXPOSICIT. I.  
PHILO-

<sup>Ἐκθετικός Ι. Philogiam Sacram</sup>) Tentamus hanc ( pro LOGI-  
diffusā & bene vexata materiā pauca potius studiosæ ju- CUM.  
ventu-

4. *Votorum Monasticorum vanitas.*

ventutis bono, quam nihil enucleatur (& maximè quid em  
(1) circa particulam μάτην, frusta, de eo frequentius usur-  
patam, quod est κενόν, & sine suo excidit. Syrus egregie:

Διαθέσθαι in vanum, inaniter, à θέσθαι evacuavit, unde,  
**θέσθαι** *vacuus*, & **θέσθαι** *vanitas*. Quod vocabulum

Interpres ille usurpat, quando exprimit νεν εδόνιμον reprobam-  
mentem Rom. I. 28. Ita ergo omnes hi, qui favent cultibus  
electiis, in reprobam mentem justi Dei judiciò tandem tra-  
duntur. Alii reddunt sine causa, sine fructu, male. (2) circa ver-  
bum σέβεσθαι, quod cultum religiosum notat, insinuatum alibi  
per τὸ λαζενεῖαν Matth. IV. colere, σεβασθεῖα Rom. I. 25: *venerari*, διλένειν servire Rom. XIV. 18. Gal. IV. 9. διδόναι τῷ Θεῷ δίξαν. Deo gloriā dare Luc. XVIII. 18. & alia significatio-  
nis cognatae vocabula Ita εὐεργεῖα τὸν Θεὸν habetur Actor. XIX.  
13. Syrus denuo ( respiciens ad Hebreum הָנָן loci nostri  
Eliaani cap. XXIX. 13, ubi est יְתִיר בְּחֵדֶר reverentia, seu  
timor eorum, quo timent me ) notanter adhibet verbum  
**וְיַדְעָה**? Timuit. Unde notum nomen **וְיַדְעָה**? idolum, numen

II. Theffal. II. 4. quod timetur **εἰσοδιτος**. Omnis quippe ιθε-  
λοθρυστεῖα est simul idolatria.

Ἐκθεσις II. (3.) circa ἀδαπταλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων. Nempe  
Spiritus S. h.l. per appositionem exprimit, quod LXX. loc. cit.  
סִדְדָּעִים, expresserant. Ita ergo retinet eorum versionem, ut  
tamen etiam libertate utatur sua. In Hebræo est מִזְבְּחָה אֲנָשִׁים  
**מִלְמָרָה**. Ad verbum: Ἐντολὴ παρὰ ἀνθρώπων δεδιδαγμένη juxta  
Grotium apud Polum ad h.l. Pagnin: Mandatum virorum edo-  
rum. Luth. Menschen-Gebot / die sie lehren. Alii verò Parti-  
cipium in Pūal הַמִּלְמָרָה relatum malunt ad רָאָה ut sensus:  
in lau-

in laudato Esaiæ loco prodeat & emergat hujusmodi :  
 וְחַהִי יְרָאֹת אֶתְתִּי מִזְוֹת אֲנָשִׁים מִלְפָתָה  
 rentia eorum erga me præcepto hominum edoc̄ta. Ita Jun. ad  
 marg. quique identidem eum sequitur B.Glaß Gram.S.p.162.  
 Intellige igitur per διδοσματιας ὑπάληψας οὐθέπων non adia-  
 phora, nec rectæ rationis in sphæra morali subsistentia præ-  
 cepta aut dictamina, sed ea potius mandata hominum, quæ  
 vel adversantur mandatis DEI, vel extra verbum revelatum  
 de consilio hominum in negotio salutis effinguntur atque  
 constituuntur.

IDE M IPSUM, AB EVANGELISTA EX SE-Memori-  
 PTUAGINTAVIRALI VERSIONE MUTUATUM, ale II.  
 SI AD COHÆRENTIAM EJVS CUM ANTECE- HERME-  
 DENTIBUS ET CONSEQUENTIBUS ATTEN- NIE V T I-  
 DAS, EXPLICATIUS EVADET. CUM.

<sup>"Εὐθεσία I. Ex LXX. virali versione mutuatum)</sup> Quando-  
 quidem ostendimus, hanc Salvatoris sententiam ex Esaiæ  
 cap. XXIX. v. 13. desumptam esse, attendere nunc aliquan-  
 tò curatus juvat ad ejusdem interpretationem. Adjecerunt  
 enim & inseruerunt Græci non modo verbum διδάσκοντες, ut  
 commodior esset constrūtio; sed & voculam μάρτυν, idque  
 citraliteram cùm Hebræi textus, tūm Chaldaicæ transla-  
 tions. Visum proinde Grotio apud Poloni I. c. 78. 6 pro  
 apud Esaiam legisse οὐαὶ καὶ απεπιστεῖ πότε pro eo, quod ple-  
 runque dicitur οὐαὶ. id enim est μάρτυν, aut, εἰς μάρτυν, ut  
 iidem ὡς transferunt El. XLIX. 4. Enimverò cur Spiritus S.  
 in N. T. toties luxatam atque interpolatam istam versionem  
 præ textu Hebræo eodemque ἀναμετρήσω fuerit secutus, id  
 præclaro usus exemplo docuit jamjam laudatus Glassius no-  
 st̄er Philol. Sacr. p. 164. Et seq. Idque per condescendentiam &c.

A 5;

indul-

indulgentiam potius, quam per sententiam, *κατ' αὐθεωνον* magis & per *descensum*, quam *κατ' αλιθεων* & *assensum* esse factitum, monet B. Scherzer. *System. p. II.* semper subintelligendum esse ratus: *Sicut vestra Bibliorum versio habet.*

*Expositus II. Coherentiam cum anteced. & conseq.)* Autem vel licarant mellitissimo Salvatori Scribæ & Pharisei, quæ sive ruantque ex eo, cur Discipuli ipsius posthabitis ac derelictis veterum traditionibus illotis manibus comedenter v. 1. & 2. capit. Replicat ergo quæstionem Salvator, & interrogat v. 3. cur ipsi criminatores posthabitis DEI præceptis traditio-nes suas tantifacerent, curque v. 4. 5. 6. Korban suum hono-ri parentibus debito longe anteferrent. Scitè tandem v. 7. 8. huc applicat sententiam Esaiæ, de populo labiis appropin- quante, cor vero à DEO alienissimum fovente; cui tandem agglutinat v. 9. ex eodem Propheta testimonium generale nostrum de *vanitate cultus eleborum*: **F R U S T R A** verò **M E C O L U N T M A N D A T I S H O M I N U M**. Suscipit de- inde apologiam Discipulorum, illotis manibus edentium, quum nihil per os ingressum coinquinet hominem v. 10. 11. & seq. item 17. 18. 19. 20. Cæterum plantas, quas non plantave- rit Pater ecclesiæ, eradicatumiri affirmat v. 13. & Phariseos traditionum suarum amasios, tanquam cœcos cœcorum du- ces, missos facere jubet. Hæc antecedentium atq; consequen- tium est *equus vena*.

**Memori- ale III. CUM MANDATIS HOMINVM QVIBVSCVN-**  
**Symbolum ex QVE, CITRA DEI VERBVM DATIS, FRVSTRA**  
**libris COLATVR DEVIS; RECTE LIBRI NOSTRI**  
**Symbolici AC NORMALES VOTIS QVO-**  
**licis five QVE MONASTICIS ILLVM FRVSTRA COLI**  
**Norma- TRADIDERVNT.**

*Eza.*  
**libus.**

Votorum Monasticorum vanitas.

7

*Exhortatio I.* Majores nostri in Articulo August. Confesi. per  
nultimo ad sententiam nostram, quæ ex ipso met ore mellitissimi  
Salvatoris profluxit, ita provocant: *Afferunt nostri &*  
*aliam rationem de Votis, quod sint irrita; quia omnis cultus DEI,*  
*ab hominibus sine mandato DEI institutus & electus ad prome-*  
*rendam iustificationem impius est, sicut Christus ait: FRUSTRA*  
*COLUNT ME MANDATIS HOMINUM. Et Paulus ubique docet, iustitiam non esse querendam ex nostris obser-*  
*vationibus & cultibus, qui sint excopitati ab hominibus: sed con-*  
*tingere eam per fidem, credentibus se recipi in gratiam a DEO*  
*propter Christum.*

*Exhortatio II.* Haec illi: quorum laudatus Articulus ita ju-  
ventutis lectioni assiduae commendari potest, ut prima ejus-  
dem pars vocetur **HISTORICA** de statu Monasteriorum ve-  
teri & recentiore, de qua votorum origine. Conf. libros nostros  
Norm. pag. 194. 195. 196. usque ad verba illa: *Longe præferunt*  
*aliis vita generibus a DEO ordinatis.* Altera pars est **THETICA**,  
licitum nempe esse omnibus contrahere matrimonium pag.  
ead. usque ad verba: *Igitur non peccant isti, qui obtemperant*  
*huic mandato & ordinationi DEI.* Tertia tandem est **ANTI-**  
**THETICA**, evincens, vota monastica nec possibilia esse, nec  
satis deliberata ob ætatem, quā plerunque siant, præmaturam;  
adeoque rescindi posse & firmiter haudquaquam obli-  
gare conscientias, pag. ead. & seq. usque ad verba, *etiamsi post-*  
*ea alii aliter senserunt: imo esse cultus mere eleemos, de-*  
*rogantes merito Christi ac iustitiae fidei, & hoc ipso nomine:*  
*Deo abominabiles, usque ad finem.*

*Exhortatio III.* Non aliorum tendit Apologeta hujus Arti-  
culi, ajens: *Sentire, quod illæ observationes sunt cultus, propter*  
*quos coram DEO justi reputentur & per quos mereantur vita*  
*æternam hoc pugnat cum Evangelio de iustitia fidei, quod docet,*  
*quod propter Christum donetur nobis iustitia & vita æterna.*  
*Pugnat*

*Pugnat & cum dicto Christi : FRUSTRÀ COLUNT ME MANDATIS HOMINUM. Pugnat & cum bac sententia : Omne, quod non ex fide, peccatum est. Lege Librorum Normal. p.485. & rursum 291. Nec commovet eos vox Christi, qui objurgat Phariseos, qui traditiones contra mandatum DEI fecerant.*

<sup>Exhort. IV.</sup> Age verò, si lubet, totam nostrì jam præsentis Articuli apologiam ita, credo, mecum distribues, ut præceteris observatum eas (a) memorabilem de Joh. Hiltenio, Franciscano Henacensi, abusuum monasticorum correptore, narrationem p.480. (b) Votorum licitorum degenerationem p. 481. seq. (y) vendicationem loci Paulini Gal. V. 4. κατηγ. γνῶντες δοῦλοι Χριστού ε vacuati estis à Christo &c. pag. 482. & seq. (d) blasphemiam, quæ legatur apud Thomam, professionem Monasticam parem esse Baptismo afferentem, p. 84. (e) obedienciam, paupertatem & cœlibatum esse adiaphora, & idcirco non posse naturam illud alicujus cultūs induere p. 484-485. & 486. (z) refutationem ejus, quod adversarii dixerant, illud sacris literis expressum esse, quod vita Monastica vitam æternam mereatur. (z) exemplum Antonii Eremitæ, quo doceatur, Monasticen haud esse magis statum perfectionis, quam vitam agricolæ aut fabri p. 488. (g) responsum ad objecta loca Matth. XIX. 21. Qui reliquerit domum &c. Si vis perfectus esse vade & vende &c. p. 489. 490. 491. (i) βαπτισμὸν cultus Monastici, quam ipsi canones relaxant p. 492. (n) responsa ad exempla Nazaræorum & Rechabitarum p. 493. item viduarum I. Tim. V. p. 493 cum epilogo p. 495.

<sup>Exhort. V.</sup> Paria sanxerunt Articuli Schmalcaldie Dodecados nostræ pag. 513. & seq. Omnium verò succintissime Philippus in locis rem totam ad hos duos retulit A phorismos; (I) Impietas est, si ideo voveas, quod hoc opere justificari velis, scilicet ignorans solâ gratia per Christum justificari credentes

dentes (II.) Ut maxime pie voveris, ut si quis voverit abstinerre vindò propter affligendam carnem, non quærense ope re justificari, & credens fide non facta, justificari se sola gratia per Christum; non sic tamen obligat votum, quin rescindi possit, si res postulet. Sicut enim David dispensabat de lege divina, edendo panes propositionis: Ita dispensare de quavis ceremonia externa potest fides. Dodec. p. 702. Conf. præterea Respons. ad Artic. Bavarios pag. 108. & seq.

QUANTUM IGITUR GRAVISSIMA HÆC Memori-  
SALUATORIS SENTENTIA SCRIBAS ET PHA- ale IV.  
RISÆOS NOTAT; TANTUNDEM NOTAT PARAL-  
EORUM SEQUACES PONTIFICIOS; ID QUOD LELISTI-  
EX COLLATIONE DOCTRINÆ PHARISAICÆ CUM in-  
AC PONTIFICIA LIQUIDO PATESSET. terPhari-  
sorum  
& Papi-  
starum  
eyrakua  
ta colla-  
tionem  
osten-  
dens.

\*Enthetis I. Primum τὸ τῶν ἀπόστολων ἔνταλμα in vītē Pha-  
risaicæ ac Monasticæ rigore & austoritate quā disciplinam ex-  
teram conspicitur. Josephus certè & Epiphanius paralle-  
lismo huic lucem soenerantur, si præsertim cum cap. XV.  
Evangelistæ Matthæi, ex quo nostrate oraculum hausimus, often-  
conferantur. Et Josephus quidem libr. XVII. Αρχαιολογ. dens.  
cap. 3. pag. 585. ait: Ηγαρ μοι δοτί τεράπονταν ἀνθρώπων ἐπὶ αἰχ-  
βωτει μέγα φρονεῖς πατετις νόμοι. Et p. p. φαεροῖαι καλένται,  
φαειλεῖται δοκανεῖν μαδιται ἀνταρέσσειν τερμανθεῖς. Erat que-  
dam Iudeorum secta, exactiorēm patriæ lēgis cognitionem sibi  
vindicans. Hi Pharisæi vocantur, genus hominum astutum &  
interdum Régibus quoque infestum. Et libro XIIX. c. II. p. 617.  
Oite γὰρ φαεροῖαι τὴν διαταν ἐξετελέσθων, εὖν εἴ τὸ μαλακῶ-  
τερον ἐριδόνεται. Pharisaorum vītus simplex est, nullis mollitus  
delitiis. Id quod illustratus Epiphanius Hæres. XVII.  
pag. m. 34. Edit. Colon. mira narrat de doctrinalibus eo-  
rum tabulis (σανίδας σπιθαμῆς μάνης τὸ ἀλάτον appell-  
lat)

lat) super quibus somnum ceperint, ne diu quiescerent, sed tabulis istis collapsis statim ad preces excitarentur. Paria tradit de lapillis ac spinis (*καχληνας και ανάθας* vocat) quas sibi substraverint, ne dulci somno nimium indulgerent. En præludium vitæ Monasticæ! à qua βαθὺν νέον profundum soporem jam dudum proscripterat ipse quoque Basilius Epist. ad Greg. Nazianz. ut ut rigorem disciplinæ id temporis ad sequioris ævi superstitiones nondum extenderet. Quid multa? Sufficit, canonas Pharisæorum & canonas Monachorum ad summum in genere & qua austeritatem vitæ convenire.

*Eusebii II.* Alterum τὸ τῶν ἀνθερώπων ἔνταλμα in *Pharisaica* ac *Pontificia lustratione* consistit. Scribæ (testatur Epiphanius) legis expoñentes fuere, superfluum quandam & sophisticam interpretationem inducentes, non solum secundum legem viventes, sed etiam abundantius, ut qui urceorum demersiones & purgationes servarent, poculorum item ac patinarum & aliorum ministerii vasorum; & tanquam ad sinceritatem ac sanctitatem dispositi crebro manus lavarent, crebroque purifications quasdam per lavacula adhiberent. Idem de Pharisæis attestatur, quod cum Scribis eadem senserint. Ab iis postmodum originem traxerunt Hemerobaptistæ, inde dicti, quod lotionibus admodum dediti essent, toties feso abluentes, quoties foro recederent, idq; eo, ut coram plebe religiosiores viderentur. Vid. Carol. Sigon. lib. V. de Republ. Ebr. cap. II. de septem Judaeorum Heresiis p. m. 423. Ed. Nicol.

*Eusebii III.* Aggregacum primis huic ea, quæ in capite nostro XV. Matthæi versibus anterioribus duobus referuntur, quæque sententiæ nostræ, in frustaneum ἔνταλμάτων τῶν ἀνθερώπων cultum dictæ, occasionem ministravere. Incipit nimirum Evangelista: Τότε πεστέρχουται τῷ Ἰησῷ δύο ἵεροσολύμων γραμματεῖς χαρακτῆρι λέγοντες. Διατίοι μαθηταί σὺ αὕτην καί τὸν πεστόν τῷ πεσσούτερον; οὐ γὰρ οὐτογενή τὰς καρδιάς αὐτῶν, ὅταν ἀρ-

*rev. e. D. i. o. v. H. e. Tunc accedunt ad Jesum quidam, qui Hierosolymis ad venerant, Scribe & Pharisei, dicentes: Quare Discipuli Tui transgrediantur traditionem majorum? Non enim lavavit manus suas, cum edunt.*

*Exhort. IV. Cum hoc ipso, quod apud Judæos inoleverat, τὸ τῶν ἀνθρώπων ἐπαληφή non injuria conferimus aquam Pontificiorum lustralem, cui tantum tribuunt, ut egregium plane salutis medium vocent, quod auferat impedimenta gratiæ, delect peccata venialia, fuget dæmonem, pellat ac solvat incantationes & præstigias Satanae; quod sanctificet, sterilitatem auferat, homines à phantasmatum versutiis defendat, quietet intellectum ab illusionibus Dæmonum, temperet cordis tractum, mundet ac disponat cor ad bene orandum. Vid. Autores Pontificios apud Nicol. Hunnium cito-  
tos de Apost. Rom. Eccles. p. m. 50. qui idem ritus hujus origi-  
nem ab Ethniciis accessum ivit. Ibid. pag. 221. Conf. tamen Polydor. Vergil. de Inventoribus rerum lib. VI. c. I. circa fin. p.  
m. 424.*

*Exhort. V. Tertium τὸ τῶν ἀνθρώπων ἔνταλμα utrobique ex additamento legis oralis ac traditionum ad Scripturam patescit. Generatim hoc equidem jamdum a notavimus; vocatq; Evangelista αὐτόν τὸν πεπειρέψον. Epiphanius vero non secundum legem modo viventem, sed & abundantius, hanc, ut cum Apoſtolo loquar, αὐτοῖς δικαιούσι τὴν ἴδαικην θερ-  
ενειαν exquisitissimā sectam Judaicæ religionis Auct. XXVI, 5. & quidem τῷ Κληρον καὶ τῷ δικαιοσύνῃ τὴν εὐ νόμῳ γενούέννη ἀμε-  
τίον, secundum zelum & justitiam in lege innoxiam Phil. III. 6. nobis antea stiterat. Horsum fecit externus ille ri-  
gor, quo disciplinam mirifice exasperarunt, de quo Exhort. I.  
dicere coepimus. Quod autem τὰ βαρύτερα τὸν νεότερον  
quidem attigerint, Salvator clare ostendit Matth. V. 15. &c.  
Cæterum, ut legi orali potissimum immoraremur, autor no-*

bis.

B 2.

bis extitit Paulus Fagius, de hac, non autem de scripta illud  
capiendum esse ratus primum in Pirke Aboth notissimum:  
quod Moses acceperit legem de Sinai, & (תַּרְכָּם) tradiderit  
eam Iosuæ, Iosua Senioribus, Seniores Prophetis, Prophetæ  
Viris Synagogæ magnæ (תַּרְכָּם) tandem eam tradiderint. Ma-  
gis horribilia sunt, quæ ex Talmude in præsens caput affert  
*Lighthfoot Hor. Hebr. p. m. 366.* ubi dicitur: *Amabiliora sunt  
verba Scribarum præ verbis legis. Nam verba legis sunt gra-  
via Et levia; at verba Scribarum sunt omnia gra-via. Et p. p.  
Prophetæ Et προφέται cui assimilantur? Regi mittenti duos  
è familiaribus suis in provinciam. De uno sic scribit: Nisi hic  
vobis ostendat sigillum meum, ne ei credite; de altero sic: Quam-  
vis hic sigillum meum non ostendat, ei credite. Sic de Prophetæ  
scribitur: Ostendat Tibi signum aut miraculum; at de Seniori-  
bus sic: Secundum legem, quam te docebunt.*

*Exhort. VI. Dixerim haud abs re, aut pharisaizare in  
hoc quidem certe negotio Papistas, aut papizare Pharisæos,  
utpote præ nimia sanctitate sibi meti ipsi placentes & ἐγθεν-  
τες τὸς λαϊς; Luc. XXIX. 9. Traditiones enim illi suas in Concilio  
Trident. Sess. IV. ita fere canonizant, ut affirment, ut verita-  
tem & disciplinam contineri in libris scriptis & sine scripto  
II. Thest. II. traditionibus: traditiones has ex ipsis Christi ore ab  
Apostolis acceptas, aut ab ipsis Apostolis Spiritu S. dictante quasi  
per manus traditas ad nos usque pervenisse: Sacrosanctam itaq;  
Synodus, orthodoxorum Patrum exemplum secutam, omnes li-  
bros, tam V. quam N. Testamenti, nec non traditiones ipsas, tum  
ad fidem, tum ad mores perinentes, tanquam vel ore tenus à Chri-  
sto, vel à Spiritu S. dictatas & continua successione in Ecclesia  
Catholica conservatas, pari pietatis affectu & reverentia susci-  
pere ac venerari; atque adeo si quis bas sciens & prudens contem-  
perit, eum anathema esse.*

"Exhort-

Ἐκθετις VII. Consulto refricare denuo lubet istud Epiphanius verbum, Scribas & Phariseos non solum fuisse secundum legem vivere conatos; sed etiam abundantius. Prodit nimisrum quartum τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐντάλμα; idque distinetius aliquanto jam proponendum videtur. Qualemam, inquis? *De cæteris supererogationis operibus.* Cumprimis autem de Votis, quæ Monachi cum Phariseis quadantenus habuere coniunia. Audiamus denuo Epiphanium l. c. ajentem:

Τινὲς δὲ οὖτε θοκεύουσι, οὐδὲ λέγουσι δεκαετίαν, οὐδὲ ὅτε πέντε ετίαν. Ομοίας παρθενίας οὐτε γυναικείας, τυνεχός εὐχόμενοι, τυπούτερον αὐγῶνα τέτον ενίσαντο διὰ τὸ δηθεν μὴ σωματικόν ή ταῦταν ἡ πλατανῆναι διὰ οὐειχότων αἱδητερύσιν σώματα. Ἀπεργαζούμενοι. Neq; ita multo post: εντὸς δοκτερῶν καὶ πεμπτηνῶν. Λιπεδεκάτην δὲ δεκάτων. Τὰς ἀπαρχὰς ἐδίδαν, τελακοντάστε καὶ τεντηκοντάδας, τὰς τε θυσίας ποσφαλέσασα καὶ τὰς ἑυχὰς ἀπετείνυνον. ¶ Quidam eorum (Phariseorum) cum suas illas exercitationes adhiberent decem vel octo, vel quatuor annorum sibi spatia praesigebant, quibus virginitatem aut castitatem colerent. Hoc tempus continuis precibus traducebant, et id certaminis frequenter instaurabant, ne ullam corporis labem contraberent, neve furtim turpe aliquod in somnis profluvium obreporet. Bis in Sabbatho jejunabant, secunda et quinta die: decimabant decimationes: dabant primitias, trigesimas et quinquagesimas: Sacrificia et vota exactissime exoluabant. Entibī (ut cæteros cultus electios mihi tam) περισσεια caltitatis Monasticæ, ac reliquorum votorum, quibus hodienum Monachi excolare culicem, ac deglutire camelum solent.

Ἐκθετις IIX. Cumprimis autem votum istud Pharisaicum, quod Korban dixerat, Monachatus hodierni ideam sifit. Egregit de isto Evangelista in præsenti capite; unde liquet, Dictaturam nostram de frustraneo mandatorum humanorum cultu quam maximè stringere, ac cæteris τοῖς τῶν ἀνθρώπων ἐντάλμα-<sup>τοι</sup> utiq; annumerare istud. Verba severissimi ac zelo Domus

Domini pleni Legislatoris atque explicatoris hæc sunt, Ver. fu 3: *Quare & vostransgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram? Deus enim præcepit, dicens: Honora patrem tuum & matrem; & qui maledixit patri aut matri, morte moriatur.* Vos autem dicitis: *Quicunque dixerit patri aut matri: Δῶρον* (Icil. i. 5) iuxta Erafm. Schmidium Annot. in N. T. p. 228. *donum est,* Deo votum est, *sacratum est,* ἐπειδὴ εὐεργέτης *quocunque a me juvari posses.* Igitur tibi subvenire non possum, cum Deo vota & dicata omnino sint solvenda & præstanda.) Quicunque, inquam, ita dixerit Patri aut Matri, ἀνάγκη εστι. Vide Matth. XII. 5. Insens erit, ut supplet Beza, Luther. Der thut wohl & h. l. & Marc. VII. II. Incurrebant itaq; Pharisæi notam vel Ethnici Poëtæ Hesiodi, qui libr. I. εγγ. v. 185, & seq. de seculi ferrei hominibus canit:

Ἐδὲ μὲν οὕτω  
Πηγάτεσι τοκεῦσιν ἀπὸ Θρησκευμα δίειν.

Neque hi Jane

*Senibus parentibus educationis præmia reddent.*

Id quod etiam, annotante Schrevelio, Athenis capitale fuit.

*Enθesis IX.* Emulari hanc αἰσογύιαj Jesuitas, testatur Hottingerus Thesaur. Philol. p. m. 32. ubi gemina rem historiola comprobat. Alteram attexit de Jacobo Crusio Jesuita, qui novitium quandam, Jesuitismum deserere & ad suos redire cogitantem, compellaverit his vercis: *Quid tibi curæ sunt parentes?* Audi Christum & Ignatium. Alteram vero de promit ex Hospiniani Histor. Jesuit. pag. 75. inquiente: *Erat Landsbergæ novitus nomine Johannes artificio farror.* Hic cum reliquis novitiis animi gratia in campum procedit. Ob viam ei fit pater senio confectus, qui filium, quem anum fere non viderat, alloqui & salutare cupit. Filius autem faciem avertit, tanquam ad horrendi monstri occursum, & ne patrem audire &c. cum ipso collo qui cogatur, aufugit. Pater senex filium

lium in clamat: Hoc cine est mihi nutrificationis gratianus referre? At ille surdus & mutus pergit. Pater: Faxit Deus, inquit, ita fugias, ut nunquam redeas! Et reliquis Jesuitis silentibus: Haec, ait, est pietas, quam Jesuitæ suos docent. Abeat igitur in malam crucem degener iste filius, qui non se gerit, ut Christianum decet. Ubi domum deventum est, Rector, re auditæ, factum Johannis maxime probans, macte ait, virtute, filimi, qui Patrem Tibi elegisti patres Societatis nostræ, quose te magis, quam patrem tuum, amare oportet, eò quod hic secularis sit, illi spirituales. Factum hoc insuper dicto Hieronymi (per calcatum patrem perge ad Christum) confirmare conatus est, & cujusdam Novitii Parisiensis exemplo, qui ne quidem matris lacrymis permoveri potuerit, ut è coenobio pedem moveret. Addebat denique, parentibus, si eos à Societate Jesuitarum abstrahere conarentur, dicendum & scribendum esse: Vade post me, Satana! quod non parentibus naturalibus, sed societatis patribus obedientiam absolutam voverit. En Tibi nō ἐγένετο αὐτὸς ἀπόστολος, præcepto Dei adeò impotenter & præfæcte antelatum!

*Exodus X.* Festivè denique septem Pharisæorum cognomina (quæ ex Scriptoribus Talmudicis etiam Lighfoot. Hor. Hebr. ad Matth. III. p.m. 233. & seq. percenset) laudatus Hottingerus ad Monachorum mores & vitam accommodat. Ne quid enim dicam de eo, quod monialem Judæi appellant *תָּשְׁׂׂרֵפָה Pharisæam*, sanctitate nimirum à reliquis separata; datus est olim *Pharisæus Sichemita circumcisus ut Sichem Gen. XXXIV.* sed non in honorem Dei; verum gloriolæ & luciliaca. Tales hodienum ex Jesuitis illi, qui non tam religione Monasticas sequuntur regulas, quam ut ventri & famæ ut plurimum serviant, inimici crucis Christi Philipp. III. 18. Datus est *Pharisæus impingens*, qui pedes præ nimia sanctitate non elevavit, sed allisit ad saxa. Id ipsum quam sit Capucinis nostris

nostris solenne, docet experientia. Datus est *Pharisaeus sanguinem eliciens ad parietes*, ad quos nempe frontem allidens, cruentari reddit & sauciam. Huc refer verbera & flagellationes, quas Capucini quidam septimanatim ter instituunt, ut & hac in parte Francisci exemplum sequantur.

<sup>Exhortatio XI.</sup> Dabatur præterea *Pharisaeus mortuararius* פָּרוֹסְפִּיָּה instar pistilli depresso, incurvato nempe & humili corpore incedens. Germ. Ein Rüttelkling. Simili incessu complures ex cuculligeris gaudere, dies docet, imitantes eos, quos Michæas cap. VI. verf. 6. loquentes introduxerat. Dabatur *Pharisaeus dicens*: *Quodnam est officium meum* : Et præstabo ex superabundanti? Hujusmodi in Scholis & Monasteriis sunt illi, qui opera supererogationis jaçtant, quibus non tantum aureolam adeo que eminentissimum in celo gradum sibi, sed & aliis ex merito acquiri falso somniant. Dabatur *Pharisaeus ex timore*. Hujusmodi cœcæ in Papatu obedientiæ mancipia sunt, quæ Monasticam sibi vitam eligunt, ut purgatorii poenas vel prorsus tollant, vel mitigent, & infernales cruciatus suorum operum merito declinent. Dabatur tandem *Pharisaeus ex amore*, sicut Abrahamus; cuius nominis *Pharisaeus cæteros omnes antecellere putabatur*. Diligebat Deum ex amore præmii, cum tamen diligendus esset propter seipsum. Et tales sunt in Politia Monastica, quotquot opinione meriti inflati Deum ipsum ad rediendum, quod sibi debeat, poscere atque urgere non dubitant.

Memori-  
ale V.

QUICQUID ERGO VOTORUM REGULARI-  
ANTIBUS SUIS MONASTICEN PROFESSIS IN JUN-  
TRIDEN- XERE PATRES TRIDENTINI CITRA VERBUM  
TINUM. DEI, AUT INJUNCTUM DEFENDERE, ID O-  
MNE SIVE CASTITATIS, SIVE PAUPERTATIS,  
SIVE OBEDIENTIÆ, SIVE ALIO QUOCUNQUE  
TITU-

TITULO INSIGNIATUR ATQUE DECORETUR,  
NIHIL NISI ENTALEMA TΩΝ ΑΝΘΡΩΠΩΝ EST.

*Exodus I. Castitatis.)* Ita vero habetur in Concil. Trident. Sess. XXIV. Clericos in Sacris ordinibus constitutos vel Regulares castitatem solenniter professos non posse matrimonium contrahere, nec contractum ab iis esse validum: Obstare enim Legem Ecclesiasticam & votum. Et ibidem vicissim extat sanctio: Clericos hoc modo interdicere matrimonio non esse damnare matrimonium. Item: Licet Clerici non sentiant, se castitatis, quam uerunt, habere donum; non tamen idcirco contrahere posse matrimonium: Etenim DEVM id donum recte pertinentibus non dengare, nec pati nos supra id, quod possumus, tentari l. Cor. X. v. 13. Tandem: Statum conjugalem non esse anteponendum ulla ratione statui virginitatis vel coelibatus l. Cor. VII. Quæ omnia ultra evanescunt, ac frustra decernuntur, cum certissimum sit, castitatem isthanc votivam & Monasticam, quam tuetur Concilium, nequaquam τῷ τῷ θεῷ, sed τῷ τῷ ἀνθρώπῳ errat, ut esse nixam. Subruto igitur fundamento tam arenoso tota intercidat religio, necesse est.

*Exodus II. Paupertatis.)* Sfortia Pallavicinus Cardinalis, Concilii Tridentini adversus Petrum Svavem, seu P. Paulum Sarpium Venetum Hyperaspistes, plura velut in aliis doctrinæ capitibus, ita & in hoc tentavit, quam præstítit. Confessus pro ingenuitate sua fuerat Sarpius, ex superstitione isthoc simulatae & commentitiæ paupertatis voto maximas aulæ Romanae totique adeo Pontificiorum Clero divitias acrevisse. Ex triponde dictum. Verba ejus fuerant hujusmodi: Nulla ratione comprobabant (Galli) bonorum stabilium possessionem mendicantibus concessum, & ajebant: Cum in Gallia per hujusmodi institutionem illa fuissent recepta, aequum esse, ut non nisi in eodem statu retinerentur: perpetuum esse artificium Aule Romanae, bona

*bona e Laicorum manibus excutere & ad Clerum trahere, ac deinde Romanum; cum primis detur opera, ut per speciem voti paupertatis Monachi estimationem sibi comparent, quasi nihil ab ipsis fluxorum bonorum spectetur, sed cuncta ex charitate ad populi commodum destinent: postea vero estimatione sibi comparata voti ligamen Aulare laxet, unde facile ditescant; & ita monasteria, jam affatim opulentia, in commendationem tradantur, ac denique universa in aulam Romanam commigrent.*

*En*de*ter*io* III. Quæso, quid ad hæc Pallavicinus? Stomachabundus quidem ascribit, hanc ratiocinationem inter eas fabellas connumerandam esse, quibus pueri oblectentur. Histor. Concil. Trid. p. III. lib. 24. cap. 10. §. 10. Et tamen §. 13. non obscure concedit, post diuturnum seculorum curriculum hos proventus, in commendatas conversos, Romanam in Aulam confluxisse: interim male concipi Ecclesiam & Aulam, quæ sibi cunctos illos proventus ascribat, nullo aliis fructu distributo: at revera non nisi munus dispensandi illius patrimonie exercere; qua ratione humanæ Republicæ magis proficit. Quo quidem responso num id de personata Mendicantium paupertate non ipsemet profiteatur Cardinalis, quod antehac in Sarpio notaverat, & fabellæ nomine insigniverat, Lectori dijudicandum relinquo. Adeo clare patet, religionem Pontificiorum multis partibus aulicam, ac tantum non histriioniam videri (uti Serenissimus quidam Saxoniæ Princeps, sacris Coloniensium visitatis, eam appellabat) in qua castuli saepissime (nam de omnibus id quidem affirmare nolumus) mores Domini imitantur, & fictitia paupertas opes adeo immensas acquisivit. Sed hoc mirum non est, cum rātō dīfē*ctiō* παρερθηται, divinis præceptis multum anteponant Curiæ Papalis parasiti.*

*En*de*ter*io* IV. Obedienti.e.) Crudele martyrium appellat Pallavicinus, quod anno 1563. in Gallia paucorum mensium spatio*

tio exantlaverint tria Regulariū millia, eo quod obedientiam Romano Pontifici debitam abjurare noluissent lib. cit. cap. III. §. 7. Ex quo apparet, id quod alias notum est, Galliam aut dudum excusisse jugum coecæ obedientiæ erga Pontificem Romanum, aut tyranidis propriæ religione coercere subditos. Sed omnino stolidum est hujusmodi votum. Obedientia enim illa, quam Monachus suo Abbatii promitti in omnibus, Iudicris etiam & nihil rebus præstandis, cœcum ei vovet obsequium, de quo nec divinum mandatū, nec promissum, nec exemplum in sacris extat. Cœcam autē hujusmodi obedientiam merito vocamus, quæ nullam obtemperandi recognoscat rationem, præter solam imperantis voluntatem. Quo servitio nihil homine Christiano indignius (qui caro redemptus non debebat fieri servus hominum *I. Cor. VII. v. 23.*) esse potest, uti sentit Gerhardus noster *Confess. Cathol. lib. II. part. II. artic. VII. cap. 4. pag. mibi 299.*

<sup>Exodus</sup> V. Nec ipsi vero, emunctarum narium qui sunt, Monachi hoc ulla inficiari fronte possunt. Unde celebris quidam Franciscanus Concionator apud Cassandrum *Consult. in Art. XXV. Aug. Confess.* sciptum reliquit hujusmodi judicium: Monachus servata sua regula, si lentiat, se propterea iustitiam coram DEO consequi, is errat, juxta illud Christi Matth. XV. *Frustra me colunt mandatis hominum:* prout narrat B. Saubertus Caffandr. *Evang. p. m. 250.*

FRUSTRA DENIQUE POST TOT ALIOS Memori,  
COELIBATUS MONASTICI INFELICES PRO- ale VI.  
PUGNATORES QUINQUE CONCLUSIONIBUS ANTI-  
EUNDEM STABILIRE ET A CULTUS ELECTI. BECANI-  
TII CRIMINE ALIENUM PRONUNCIARE AN-  
NITITUR JESUITA BECANUS.

<sup>Exodus</sup> I. Quinque conclusionibus) Manual. lib. I. cap. XIII. p. m. 366. seq. Prima haec est: Sacerdotes V. T. diuino jure obligatos suisse ad continentiam non quidem perpetuam, sed pro certo tempore. Probationem capessit Jesuica (α) ex dicto Exod. XIX. 22. Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, i.e. abstineant ab uxoribus. Id quod inde patere afferit; quoniam v. 15. appropinquatio ad uxorem inhibeat toti populo. Si toti populo; Ergo speciatim sacerdotibus, & quidem pro omni eo tempore, quo fungebantur officio sacerdotali. Quorsum asciscit (β) testimonium I. Sam. 23. v. 1. seq. de Davide & sociis, panes sacres comeduntur, qui continuerint sese ab uxoribus. Si ergo, ait, homines laici debebant hoc modo sanctificari; multo magis sacerdotes. Accedunt (γ) ephemeriae XXIV. familiarum sacerdotialium I. Paral. XXIV. 7. quarum singulæ impleverint Sabbathum II. Paral. XXIII. 8. ita quidem certè, ut sacerdotes per octo dies relictis dominibus & uxoribus suis permanerent in templo & ibi ministrarent: Unde consequens sit, debuisse eos à cohabitatione uxori abstinere.

<sup>Exodus</sup> II. Verum utcunque haec tria probationum momenta conclusionem antea substratam fulcirent; nihil tamen inde accresceret desperatae adversariorum causæ. Regerimus enim (κ) immane quantum discriminis intercedere inter abstinentiam sacerdotum V. T. ab usu matrimonii & cohabitacione uxorum temporariam, dum res sacra perageretur, ab ipsis servatam excutiamve; & perpetuam constantemque sacerdotum dyaphav. Ab illa ad hanc nō valet consequentia. (δ) quod si testimonium Exod. XIX. 15. eo collimet, tum etiam laicos juris diuino ad cœlibatum teneri. Siquidem intermissio officii conjugalis circat tempus adeò sacram iis æque, ac ipsimet sacerdotibus, divinitus injuncta legitur. Et ὡμήλια Davidici, mundationis Leviticæ tenaces, panibus propositionis vesci poterant, qui tamen non erant sacerdotes. (ε) Si itaque sacerdotes

dotes V.T. circa tempus adeo sacram ab uxoribus abstinere jussi; & si circa tempus ephemericæ suæ etiam abstinuerunt; instamus: Ergo non fuere coelibes, & ita cum innuptis Pontificiorum Sacerdotibus parum conferendi: atque adeo eorum exemplum adversariis ipsis magis adversatur, quam suffragatur.

*Exhort. III.* Secunda conclusio affirmat, *Apostolos servasse perpetuam continentiam, non quidem jure divino, sed partim consilio Christi, partim sua sponte.* Id quod constare opinatur Jesuita ex confessione Petrina Matth. XIX, 27. Ecce nos reliquimus omnia: cui respondeat Salvator v. 29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem.* Sed opinatur; cum insubide confundat derelictionem uxoris voluntariam cum necessaria. Illa per divortium ac circa casum persecutionis suscipitur: Hæc tempore exantatae persecutionis omnium eorum, quæ propria sunt, dum Christum & verbum ejus sequimur, post habitationem comitatur. Dum ergo probanda erat illa, nimirum Apostolos uxoribus reliquit perpetuam servasse continentiam & quidem voluntarie; distum de hac agens minus commode adducitur. Unde nullum fere, nisi aut quatuor terminis constitutum, aut ad sumnum minus recte contradictrum, in forma conflaveris argumentum. Atque adeo istud Christi consilium plane hoc non quadrat, eo, quod non ad celibatum aut continentiam, sed ad persecutionem, hostium truculentiam & Christianorum constantiam collimet.

*Exhort. IV.* Mirum vero, ni Paulus, ad quem provocat Antagonista, causam ejus perorer, de se scribens r. Cor. VII, 7. *Volo vos omnes esse, sicut me ipsum.* Eribidem: *Dico autem non nuptis Es' viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego;* nempe in statu continetiae. Regerimus (a) esse fallaciam a dicto secundum quid. Apostolus enim non  
vult

vult id simpliciter & absolute, ut omnes homines sint cœli-  
bes. Alioqui genus humanum interire vellet; sed *narrat*,  
cum respectu ad instantem necessitatem, ad Ecclesiæ plan-  
tandæ conditionem, & ad sua cujusque dona; quasi dicat: Cum ingens immineat persecutio, vellem hoc. (β) istud  
consilium Apostoli non ad Clericos solos, verum etiam ad  
laicos in Ecclesia Corinthiorum plantanda pertinere. Inde  
ergo si quid pro cœlibatu Monachorum votivo subsumen-  
dum foret; pari consequentiæ nexu ille etiam laicis imperi-  
taretur. (γ) Paulum, qui, cum hæc scriberet, cœlebs fuit, in  
perpetuo postea, dum viveret, mansisse cœlibatu, ex loco ci-  
tato nondum omnino liquere. Quin dubium potius est, ha-  
bueritne postea uxorem, an non? Certe affirmant Ignatius  
Epist. V. Clem. Alexandrin. lib. III. Strom. & Eusebius lib. III.  
H. E. c. XXX. Conf. Balduin. nostrum ad verba r. Cor. IX, 15.  
*Annon habemus potestatem forarem mulierem circumducendi,*  
*quemadmodum & ceteri Apostoli & fratres Domini & Cephas?*  
ubi proprietati vocis γυνη, non de quavis muliere, sed de uxo-  
re Matth. I. 20. Luc. XIV. 20. &c. usurpata, interpretes præ  
ceteris inhærent: neq; aliam γυναικα Apostolum intellexis-  
se arguunt, quam talem, qualem habuit Petrus, de cuius so-  
cru testatur Spiritus S. Matth. VIII, 14. & de qua refert  
Clem. Alexandr. I. III. Strom. quod Petrus eam habuerit Rome,  
quam cum videret ad martyrium duci, expresso nomine allo-  
cutus fuerit: Memento Domini. Neque etiam aspernanda  
penit' videtur B. Calixti observatio ad verbum οἰταγειν, quod  
significet jus mariti in uxorem, non in aliam, quæ ultro, quam  
diu libeat, iter faciat. *Exposit. literali in b. l. p. m. 72.* Sive igitur  
ea vera sint, quæ de ceteris Apostolis memoravit Ambro-  
sius, aut quicunque tandem est autor iste in cap. XII. po-  
ster. ad Corinth. omnes nempe excepto Johanne & Paulo,  
uxores habuisse: sive ea, quæ de Paulo narrat Eusebius, hunc  
nimisimum uxorem habuisse, sed non secum circumduxisse, lib.  
III.

III. Hist. Eccles. cap. XXXI. vapulat certe Becani tum conclusio, tum ab exemplo Paulino desumpta probatio.

*Exhort. V.* Largitur denique ὁ καλύων γαμēν Adversarius, nullum extare praeceptum divinum in Novo Testamento, quo vel Apostoli, vel alii Ecclesiae ministri obligentur ad coelibatum: ideoque tantum ex Christi consilio & propria voluntate mansisse coelibes: quin etiam consilium Christi his conceptis verbis dari apud Matthæum cap. XIX. 12: *Sunt Eunuchi, qui seipso castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.* Verum multo ante, quam haec scriberet Becanus, nodum istum solutum noverat a nostris. Instar omnium ipsi poterat esse scholion Lutheri: *Das dritte Verschiden muß geistlich seyn/nemlich willige Reuschheit. Sonst wäre es einerley mit dem andern / das leiblich geschiehet.* Alia deinde libera coelibatus electio est; alia autem votiva ad coelibatum astrictio sive coactio. Esto: Commendet illam melitissimus Salvator: castrationem sui ipsius ob regnum cœlorum factam appetet, eandemque ad officia Christianismi eo constantius pronunciet comodam expediunda; non tamen idcirco hanc quoque per modum consilii Apostolis, aut verbis Ministris in N. T. solis injunxit. Id quod tamen ~~per se ipsius~~ fuerat probandum. Leges B. Gisenii Papismum Disp. XVII. p. m. 315.

*Exhort. VI.* Labascit ædificium arenoso fundamento superstructum. Labascit nihilominus prioribus duabus imposita tertia Jesuitæ conclusio: *Apostolos & Iusti & decreti & decessi, ut alii deinceps Ministri Ecclesie servarent continentiam.* Hujus statuti interpres sicutus Paulus, qui distinet Tit. I, 7. oportere Episcopum esse continentem. At enim versus antecedente sexto requisiverat unius uxoris virum, perinde, ac I. Tim. III, 2. & quidem talis uxoris, quæ non sit Ecclesia, verum Ecclesiae Dei contradistincta ibid. v. 5. Unde sic

sic arguimus : Quæcunque requisita Ministri Ecclesiæ coelitatum tollunt , illa eundem non stabilium astruuntve. Atqui hæc requisita Paulina. E. Cadit itaque nova Jesuitæ præscriptio seu conclusio , quæ urget . Paulum cum reliquo Apostolorum choragio venerabili suassisse ac decrevisse eam , de qua disquirimus in præsenti continentiam.

*Eusebius VII.* Enimvero accersitur idem Apostolus gentium decreti istius *Cor. Phil. II. Tim. II. 4.* prohibens , quo minus bonus miles Jesu Christi implicit se negotiis secularibus , &c conleuenter etiam usui matrimonii , ut pote qui maxime impedit ministerium. Neu desit ratio , in super additur : Nam qui cum uxore est , sollicitus est , quæ sunt mundi , quomodo placeat uxori , Et divisus est *I. Cor. VII. 33.* Verum scilicet *(a) τὴν αὐλεθεριαν* esse minus firmam. Colligitur quippe & infertur hoc modo : Paulus Timotheum a curis secularibus dehortatur. E. paulus eundem dehortatur a matrimonio. Quo minus autem posterior hæc aslertio effluat ex priore , obstat verborum suorum optimus Interpres Paulus ipse , qui suum isthunc in Christo filium , non fecus , ac quemlibet Ecclesiæ Ministerum , unius uxoris esse virum debere , tam claris & apertis verbis edixerat , prioris Epist. II. 2. Per ras & βίσις περιγραφέας ergo non certe divinitus institutum conjugii usum , sed generatim omnia , quæ ad viatum pertinent , negotia , cuiusmodi sunt mercatura , agricultura , &c similia , quæ alibi βιωτική μέρημνα *Luc. XXI. 34.* audiunt , intellexit.

*Eusebius VIII.* Ad rationem allatam , quod usus matrimonii impedit ministerium , repono tum καὶ ἀδρεπον , tum καὶ ἀληθεαν . καὶ ἀδρεπον : Ecquid vero id impedit ministerium , quod ex hypothesi Pontificiorum plane Sacramentum est ? καὶ ἀληθεαν vero : Ab usu perverso matrimonii , ejusdemve usus vituperio , ad repudiandum ejus usum a Deo ordinatum non valet consequentia. Neque enim huic , Apo-

sed illi impedimentum functionis sacræ , aut avocamentum ab oratione continua acceptum erat ferendum. Seu mavis : Apostolus in verbis allegatis de ejusmodi cœlibe , cui divinitus obtigerit donum τῆς ἐγκεφαλίας , loquitur , & hunc pro statu Ecclesiæ Corinthiacæ tum præsentē anteponit uxorato . Quod autem Tarsensis Præco comparate in uno & altero Ecclesiæ Corinthiacæ Christiano , laico æque ac Clerico , commendavit ; id sane Ministris Ecclesiarum in N. T. omnibus absolute & sub Apostolici decreti nomine haudquam voluit injunctum .

<sup>Exhort.</sup> IX. Unum restat , quò Paulum ad partes trahere allaborat *I. Cor. VII. 5.* *Nolite fraudare in-vicem , nisi forte ex consensu ad tempus , ut vacetis orationi.* Sed cum folium istud fculneum jamjam <sup>Exhort.</sup> 2. remotum sit , nolo actum agere . Stat sententia . A temporaria , casta , pia & sacra rei conjugalis intermissione ad perpetuum Ministrorum Ecclesiæ cœlibatum nulla procedit consecutio . Nec enim hunc ; sed illam commendavit Apostolus Tarsensis loco jam allegato , cuius verba *Nolite fraudare in-vicem matrimonium potius astruent , quam destruunt inhibent.*

<sup>Exhort.</sup> X. Hæc ex Paulo . Cedo aliorum quoque Apostolorum decretum , quod de cœlibatu Clericorum sanxerint . Promittur illud ex Canonibus Apostolorum can. XXVII . *In-nuptis autem , qui ad Clerum proiecti sunt , præcipimus , ut , si volunt , accipiant uxores ; sed Lettores Cantores que tantummodo .* *Enimvero , quo minus hic canon sit ætati Apostolorum tribuendus , præter alias bene multas rationes etiam illa (B. Gerhardo nostro monente *Confess. Cathol. lib. I. p. II. cap. VI. p. m. 397.*) vetat ; quia neque Cantores , neque Lectores ea ætate fuerint instituti : imo nec nomen Clericorum solis Ecclesiæ trahiatur in scriptis Apostolorum unquam tribuatur ; sed Petrus cleri nomen toti populo assignet *I. Epist. V. 3.* Nec Apo-*

D

stolo-

stolicæ vero doctrinæ conformis esse potest, prohibitionem matrimonii doctrinam Dæmonum appellanti *I. Tim. IV. Confer Centuriatores Magdeburgenses Cent. I. lib. II. c. 7. p. 544. &c seq.* Id quod unicum fulmen omnia Hieronymi aliorū que Patrum, nuptias Clericorum improbatum, quæ pro se adducit Becanus, testimonia discutit & prosternit.

<sup>Ex theoriis XI.</sup> Cadit ergo, nec stabilior est prioribus quarta Jesuitæ conclusio : *Continentiam, quam Apostoli Ministris Ecclesia præscripserint, statim in Ecclesia servatam esse, ac non semel, sed sèpius præscriptam.* Ino vero ubi nulladum Apostolica probata sanctio est, ibi nulla etiam sanctionis hujus præscriptio locum obtinet. Concilia, quæ pro se allegat Becanus, vel suspecta, vel erroribus obnoxia fuerunt; neque approbanda sunt, ubi Scripturæ obloquuntur. Com monstrat insuper B. Gerhardus *lib. cit. cap. X.* & proprietatum Prophetarum testimoniis adversus Pontificios confirmat, quam multa fuerint in istis Concilis decreta, quæ ne ipsis quidem Pontificiis probentur. Quid multa? Concilia Conciliis, Patres Patribus vel æquali, vel numerosiori etiam serie opponere possumus. Diffuit ergo & ab obice favore it dilabiturque conclusio quinta : *Legem celibatus semper in Ecclesia occidentali (quantumvis orientali non item) viguisse.* In qua probanda dum mire desudat, & potissimum vero cum M. Antonio de Dominis contendit Jesuita, tandem ad objectiō nem Dicto nostro consonam (quod Ecclesia non possit statuerē legem, quæ certo hominum statui generatim adimat libertatem contrahendi matrimonium, hoc est, quod frustra Deus colatur doctrinis, quæ sunt mandata hominum) ita replicat Becanus : Verum quidem est, quod absolute loquendo hoc facere non possit; sed falso est, quod non possit hoc facere eo modo, quo nunc facit, nempe sub ea conditione: *Si quis velit esse Presbyter, aut Episcopus, debet servare continentiam.* Nam per hujusmo-

jusmodi legem non cogit quempiam ad continentiam; sed relinquit unicuique liberum, ut possit amplecti statum Ecclesiasticum, vel non amplecti; & consequenter, ut possit uxorem ducere, vel non ducere, prout placuerit. Excipimus, hanc responsonem tum demum valitaram esse, si prius probatum ex verbo Dei foret, cœlibatum, Ordini Clericorum promiscue & generatim in-junctum, non eile primævæ conjugii institutioni contrarium. Aliud profecto nobis persuasurus Apostolus doctrinam τὸν παλινόταν γαμεῖν, prout audivimus, doctrinam Dæmoniorum appellat, in nulla hodie sub sole, præterquam Pontificorum, Ecclesia percrebescerent; neque eam ad sua, sed extrema adeo tantum sanctimoniae ac meriti tribuatur isti statui citra verbū Dei, fatente quantumvis ipsomet Jesuita, Ecclesiam non posse absolute loquendo statuere legem cœlibatus; aureolum nostre, quod ex Salvatoris mellitissimi ore profluxit, intepide de eo pronunciamus, frustra coli Deum hujusmodi doctrinis, quæ sunt hominum, imo Dæmoniorum, mandata, concludimusque denuo:

Trina D<sup>e</sup>o sordent rasorum vota, Becane.  
Nam jussis hominum non avet ipse colis.



(o)

Cuculliger, qui stulta vota voverat,  
Et ipse rerum, quas agebat, impotens,  
Et matrimonī dia vincla dirimens,  
Meritò tibi improbatur, ô amice. Vanitas  
Illa ipsa sordet & mihi; hinc votum  
tibi  
Acceptius fundo: Sator mortalium  
Hymenæa vota det tibi faustissima!

Quo septenario votivo

Politiss. Dn. RESPONDENTEM, Auditorem suum  
perindustum, ornare voluit

PRÆSES.

(o)

753962



56.

R

W/R





THEOLOGEMA MEMORIALE  
SEXTVPLEX  
DE  
**VOTORUM**  
**MONASTICORUM**  
**VANITATE**  
ex Math. XV. v. 9.  
*IN AUDITORIO THEOLOGORVM ALTDORFINO*  
publice disputabitur  
d. 19. April. M.DC. XCIII.  
PRAESIDE  
**CHRISTOPHORO**  
**SONNTAGIO,**  
SS. Theol. Doctore ejusdemq; Prof. Publ.  
Primario & Ecclesiæ Antistite, h. t. Vniversitatis  
RECTORE,  
& RESPONDENTE  
**JOHANNE ERNSTO** *Selmers*  
Sverinensi Megapolitano.

*ALTDORFFI*  
Recusum à Jenoco WILHELMO KOHLESIO, 1702.